

immediate assumptos esse a divino Verbo in Incarnatione, ac futuros esse in corpore glorioso (1).

Argumentum ergo primum ex eo desumptum, quod sanguis, a Verbo immediate assumptus, inter partes integritatem corporis humani constituentes numerari debeat, ad probandam ejusdem sanguinis animationem efficax esse non potest; quia sanguis quidem vere pertinet ad integritatem humanæ naturæ, fatentibus omnibus, quin tamen exinde sequatur ejus animatio.

Cæterum distinctionem duplicis hujus generis partium integrantium in corpore humano probant assertores sententiæ negantes animationem sanguinis per animam rationalem, 1.<sup>o</sup> exemplo aliorum humorum vel partium liquidarum, quæ ex ipso naturæ instituto necessarie sunt ad conservationem corporis, ideoque pertinent quidem ad ejus integritatem, non tamen vivunt, nec tam primario ac principaliter constituunt organismum, ac partes aliæ solidæ physice inter se unitæ saltem imperfecta continuatione (2), atque animatæ, vitæque vegetativa, vel etiam sensitiva, pollentes. 2.<sup>o</sup> Eadem distinctio fundamentum habet in Aristotele, qui cum non semel appellet sanguinem partem corporis (3), alibi tamen expresse dicit, quod *sanguis nulla est pars animalium* (4), quæ assertiones contradictoriæ sunt, nec inter se componi queunt, nisi diversi generis partes integrantes agnovisse Philosophum judicemus. Idem vero apertius longe constat ex S. Thoma, qui etiam inter partes *ad naturam corporis humani pertinentes* recenset sanguinem (5), et nihilominus in quodam loco disertissime scribit, quod *sanguis nondum est actu pars, sed est potentia totum* (6). Immo vero, præcise in hoc principio fundat Angelicus argumentationem suam ad probandum, quod corpus Domini nostri Jesu Christi formari debuerit non

(1) Vide S. Thom., 4.<sup>o</sup> distinct. 44, quæst. 1, art. 2, solutione 3.<sup>a</sup>

(2) Vide *Psycholog.* vol. 1.<sup>um</sup>, num. 55, pag. 230-233, seqq.

(3) Ita v. g. lib. 2, 1.<sup>o</sup> de *histor. animal.* cap. 1.

(4) *De gener. animal.* lib. 1, cap. 18 et 19; apud S. Thom. 3 p. quæst. 31, art. 7, ad 1.<sup>um</sup>

(5) S. Thom., 3 p. quæst. 54, art. 2; quæst. 76, art. 1, ad 2.<sup>um</sup>

(6) S. Thom., 3 p. quæst. 31, art. 5, ad 1.<sup>um</sup>; et art. 6, init. loco proxime citato.

probantur  
istæ duplicis  
generis  
partes,

ex carne vel ossibus, sed de *purissimis sanguinibus B. Virginis*. Nam cum *B. Virgo fuerit ejusdem naturæ cum aliis fœminis, consequens est, quod habuerit carnem et ossa ejusdem naturæ. Carnes autem et ossa in aliis fœminis sunt actuales corporis partes, ex quibus constituitur integritas corporis; et ideo subtrahi non possunt sine corruptione corporis vel diminutione. Christus autem, qui venerat corrupta reparare, nullam corruptionem, aut diminutionem integritati matris ejus inferre debuit, ut supra dictum est* (quæst. 28, art. 1, ad 2). *Et ideo non debuit corpus Christi formari de carne vel ossibus Virginis, sed de sanguine, qui nondum est actu pars, sed est potentia totum, ut dicitur* (*De gener. anim.* lib. 1, c. 18 et 19). *Et ideo dicitur car nem de Virgine sumpsisse, non quod materia corporis ejus fuerit actu caro, sed sanguis, qui est potentia caro* (1). Ubi aperte videtur sanguinem ex Aquinate esse partem corporis valde distinctam a partibus solidis organismi, quæ secus atque ille, *subtrahi non possunt sine corruptione corporis vel diminutione*.

Dices 1.<sup>o</sup> Distinctio hæc partium non est ad rem: 2) quia docente S. Thoma, sanguis videtur animari, sic enim scribit: *Sicut partes omnes universi perfectionem a Deo consequuntur, non æqualiter, sed secundum suum modum unumquodque, ita etiam humores* (in quibus recensetur sanguis) *aliquo modo perficiuntur ab anima rationali, non tamen eodem modo, sicut partes perfectiores* (2). 3) Ex hac doctrina sequeretur etiam æerem, quo indiget homo ad respirandum, esse vere partem hominis, ad secundariam ejus integritatem pertinentem. 4) Simili modo calor et temperamentum necessarium ad vitam conservandam erunt partes integrantes secundariæ.

Respondent adversarii *negan.lo* assertum. Ad probationem 2), negant ex verbis Aquinatis necessario consequi informationem sanguinis, quia sanguis et reliqui humores perfici *aliquo modo* possunt ab anima rationali, licet non informetur, per influxum, quem communicet mediis aliis partibus corporis, per quas secretionem gignuntur, et conservantur in suo esse, nam sanguis e corpore emissus innox corruptitur (3).

(1) S. Thom., loc. sup. cit. ad 1.<sup>um</sup>

(2) S. Thom., 4.<sup>o</sup> dist. 44, quæst. 1, art. 2, solut. 3, ad 3.<sup>um</sup>

(3) Cfr. Lossada, loc. cit. num. 77.

et a h. objectis  
vindictantur.

Ad probationem  $\beta$ ) *negant* sequelam, tum quia aer antequam *inspiretur*, vel absorbeatur, est extra corpus humanum, quo nullatenus eget ille ad suam existentiam et conservationem, sicut sanguis; tum quia semel inspiratus dissolvitur et solum oxygenium ejusdem combinatur cum hæmoglobina rubrorum globulorum, quod cum accidit, non jam aer inspiratus, sed oxygenium ejus, hoc pacto combinatum, incipit esse pars hominis in ipso sanguine; nitrogenium autem, quæ altera pars est aeris inspirati, expiratione foras emittitur. Ad probationem  $\gamma$ ) respondent, nec calorem nec alia quævis accidentia reputanda esse inter partes corporis integrantes, quia non sunt partes substantiales.

Dices 2.<sup>o</sup> Sanguis pertinet non ad secundariam, sed ad primariam integritatem naturæ humanæ. Ergo etsi permittatur prædicta distinctio partium primariorum ac secundariorum, adhuc sanguis vere animari dicendus, est. Probatur antecedens:  $\alpha$ ) sanguis non minus necessarius videtur ad vitam hominis, quam ossa et carnes; magis vero necessarius profecto est, quam pes vel manus, oculus, etc., multoque magis quam capilli, ungues, dentes, etc., quæ tamen animari superius probatum est,  $\beta$ ) alioquin sine sanguine poterit simpliciter et absolute salvari tota integritas humanæ naturæ; unde ex eo quod Verbum divinum naturam humanam assumpsit, non consequetur quod assumpsit sanguinem.  $\gamma$ ) Denique cum inter primarium et secundarium terminum nulla sit necessaria connexio; ex eo quod vi verborum ponatur caro Christi sub specie panis, non recte diceret concilium Tridentinum, sanguinem quoque poni vi naturalis connexionis et concomitantie, qua partes Christi Domini inter se copulantur (1).

Respondent alii *negando* antecedens, quod pugnat cum paulo superius exposita S. Thomæ doctrina. Sane secundum Aquinatem *carnes et ossa... sunt corporis partes, ex quibus constituitur integritas corporis*, profecto primaria, non secundaria, nam propterea *subtrahi non possunt sine corruptione corporis vel diminutione*. Atqui ex eodem Angelico, sanguis

(1) Ita fere Collegium Complut., loc. cit., num. 56. Cfr. Lossada, loc. cit., num. 71.

subtrahi potest sine corruptione corporis vel diminutione, ideoque *materia corporis Christi non fuit caro et os B. Virginis, nec aliquid quod fuerit actu pars corporis ejus, sed sanguis, qui est in potentia caro* (1). Ergo quomodo, quæso, ex mente S. Thomæ sanguis erit de primaria corporis integritate, non minus quam caro et ossa, etc., quemadmodum contendit Collegium Complutense?

Ad probationem  $\alpha$ ) *negant* adversarii consequentiam, quia ratio partis primariæ vel secundariæ non desumitur ex majori minorive necessitate ad vitam, sed ex alio capite, ut jam explicatum est. Sane «sicut potest aliquid esse necessarium simpliciter ad vitam hominis, quin sit pars ejus, v. g. concursus Dei vel aer spirabilis; item sicut in essentiali compositione æque necessaria est unio, ac forma et materia, nec tamen est æque pars; ita in compositione integrali potest unum esse necessarium æque vel magis aliò, quin ideo sit æque vel magis pars compositi. Primaria ergo integritas humanæ naturæ non sumitur nunc ex necessitate majore, sed ex immediata correspondentia partium corporis ad animam, ut talem, id est, ut actum primum corporis organici; qualem correspondentiam habent solæ partes organiciæ, sanguis enim et reliqui humores ab anima exiguntur, non immediate et ratione sui sed ratione partium organicarum, et in gratiam ipsarum. Unde merito vocantur in præsentem partes secundariæ, etiam respectu capillorum et unguum, attenta scilicet prerogativa ordinis ad animam, licet non attenta necessitate vel utilitate» (2).

Ad probationem  $\beta$ ) respondent, *distinguendo* assertum. Si sanguis non pertineret ad primariam integritatem naturæ humanæ, sine sanguine salvaretur integritas absolute et simpliciter, id est, secundum omnem modum integritatis, *neg.*; sine sanguine salvaretur integritas absolute et simpliciter dicta, id est, quæ propter suam principalitatem dicitur integritas sine ullo addito diminvente, *conc.* Hoc enim pacto a S. Thoma dicitur simpliciter et absolute integritas corporis

(1) S. Thom., 3 p. quæst. 31, art. 6, initio. Cfr. ib. art. 5 ad 1.<sup>um</sup>

(2) Lossada, disp. 2 *de anim.*, cap. 3, num. 72, ad 1.<sup>um</sup>

ca, quæ resultat ex partibus solidis, excluso sanguine, ut modo vidimus.

Ad probationem  $\gamma$ ) respond. *negando* assertum et rationem adjunctam. Etenim «quod nulla sit necessaria connexio inter terminum primum et secundarium, dicitur gratis et contra principia Thomistarum, qui substantiam et proprietatem volunt esse generationis terminos, primum et secundarium, inter quos proculdubio datur connexio necessaria. Præterea ex mysterio Eucharistiæ valide redarguuntur adversarii; nam sanguis non ponitur sub specie panis ex vi verborum, sed per concomitantiam juxta Tridentinum: poneretur autem, si foret pars, ad primariam corporis integritatem pertinens, sicut ponuntur manus, pedes, ungues, capilli, etc.» (1).

2.<sup>um</sup> argu-  
mentum.

**Argumentum 2.<sup>um</sup>** Si sanguis non animetur ab anima rationali,  $\alpha$ ) forma hominis non erit æquate spiritualis et immortalis, nam præter animam rationalem dabitur in corpore humano alia forma distincta, nempe sanguinis;  $\beta$ ) præterea Verbum divinum assumpsisset naturam irrationalem, nempe naturam sanguinis ex forma irrationali constitutam; unde vere dici posset: *Deus est irrationalis*, sicut vere dicitur: *Deus est homo*. Atqui hæc absurda videntur esse; ac nominatim primum est contra catholicam doctrinam, statuente spiritualitatem atque immortalitatem humanæ formæ, ac destruit unitatem humani compositi, inducta formarum multiplicitate in corpore vivente; alterum vero evertit communem Theologorum sententiam, statuente quod Verbum divinum assumpsit naturam rationalem. Ergo...

enervatur.

Ad argumenti primam partem  $\alpha$ ) respondent adversarii, *distinguendo* Major. Forma hominis, sumpta pro anima, *neg.*; forma hominis, sumpta pro forma cunctarum hominis partium etiam secundario integrantium, *conc.* Et *contradistincta* Minore, quin ejus probationes quidquam evincant, *negant* cons. Sane catholica doctrina solum tenet spiritualitatem atque immortalitatem humanæ formæ, quatenus sub hoc nomine intelligitur anima; nihil autem statuit de quavis alia forma *distincta ab anima*, quæ sit, vel non sit in homine: id enim

(1) Lossada, loc. sup. cit. num. 73; ubi novæ instantias Thomistarum solutas vide, si lubet.

totum hactenus reliquit disputationibus sapientium. Quare etiam nemini hactenus venit in mentem impugnare scotisticam formam corporeitatis ex hoc capite, nimirum quod forma hominis debeat esse spiritualis et immortalis.

Deinde sententia negans animationem sanguinis non inducit multiplicitatem formarum *in partibus informatis ab anima*, quo solo sensu agitur celebris controversia circa formam corporeitatis et partialium formarum *seorsim* informantium diversas partes organismi, ita ut anima sola animet partes primariam integritatem constituentes, aliæ vero, quæ ad secundariam integritatem spectant, informantur ab aliis distinctis formis, non autem ab anima rationali. Denique verum non est, in sententia negante animationem sanguinis destrui absolute unitatem corporis humani propriam. Bene enim defendere potest corpus humanum relate ad primariam integritatem esse unum per se, quia constat ex materia et sola anima rationali in omnibus suis partibus, quæ invicem physice connectuntur ad constituendum continuum, saltem imperfectum. Relate autem ad plenam et omnimodam integritatem, quæ ex complexu primariarum et secundariarum partium coalescit, certe non potest tueri unitatem per se compositi humani; verum hoc præcise est in questione, utrum videlicet corpus humanum, pro tota hujusmodi partium complexione sumptum, sit vere unum per se. Et Thomistæ quidem affirmant, verum ægre vel nullatenus probant, ut aliis videtur, quia non possunt satis explicare, quo pacto sanguis et reliqui humores unum continuum, vel imperfecte, constituere queant cum partibus solidis; sine vera autem continuitate saltem imperfecta nequit dari unitas per se. Itaque sententia negans animationem concedit ex complexu partium primariarum et secundariarum non exurgere stricte unum per se propter discontinuitatem; quamvis notant quidam compositum humanum etiam relate ad omnes utriusque generis partes non oportere dicere absque explicatione unum per accidens, ne per hunc modum loquendi significetur inter istas partes nullum esse ordinem naturalem vel necessariam connexionem et concomitantiam, sicut inter partes cervi lapidum, v. g. vel artefacti alicujus. Nam partes secundariæ humani corporis, et nominatim sanguis, ab ipso corpore

naturaliter elaboratur, et ex ipso naturæ instituto coniungitur partibus primariis eo modo, quo coniungi potest, ad conservationem totius organismi, ita ut corpus vivum permanere nequeat nisi per miraculum absque sanguine sic intra ipsum existente.

Ad argumenti partem alteram β) respondent adversarii: «Communis Theologorum sententia possibile agnoscit unionem Verbi ad naturam irrationalem omnino integram; nemo tamen de facto dari concedit talem unionem, saltem permanentem et ex intentione primaria. At nec ea sequitur ex nostra sententia, sed solum unio Verbi ad naturam irrationalem integraliter in completam, et per se spectantem ad integritatem humanæ naturæ, cuiusmodi est natura sanguinis; qua in re nullum est absurdum, sicut nec in eo, quod Verbum assumpsit materiam primam. Nec ideo Deus dici poterit irrationalis; quia non datur communicatio idiomatum cum parte integrali naturæ humanæ. Sic non dicitur: «Deus est pes, aut: est manus, nec dicitur: Deus est sanguis, etiam si sanguis animetur. Ideo autem dicitur Verbum caro factum, quia sumitur caro pro tota natura humana» (1).

Dices cum Goudino. S. Thomas docet Verbum assumpsisse partes corporis mediante anima (2). Ergo assumpsit eas animatas. Sed assumpsit quoque sanguinem. Ergo etiam hic est animatus.

Respondent patroni contrariæ sententiæ, negando consequens; quia S. Doctor, cum scripsit Verbum assumpsisse carnem (non dixit partes corporis, ut ait Goudinus), non intendit in eo loco Verbum immediate soli animæ, reliquis vero partibus mediante anima unitum esse, sed Verbum carni unitum esse propter ordinem, quem habet ad animam rationalem, secundum quam habet, quod sit caro humana. Id quod accommodari quoque potest sanguini, etiamsi sit pars duntaxat secundaria non informatam per animam, quia sanguis etiam est humanus, generatur enim in corpore et per corpus anima rationali informatum.

(1) Lossada, loc. cit. num. 75. Cfr. P. Franciscus Alphonsus, loc. cit. num. 61.

(2) Vide S. Thom., 3 p. quest. 6, art. 1.

Argumentum 3.<sup>um</sup> Hæc in sacris Litteris leguntur: Anima ejus in sanguine est (1). Quod exponens S. Augustinus: Aliquid vitale, inquit, est in sanguine, quia per ipsum maxime in hac carne vivitur (2)—Sed facile respondent alii, animam dici esse in sanguine, quia vita corporis, ac proinde animæ existentia in homine vel animali, a sanguine maxime pendet, ac fovetur. Simili quodam modo dicitur alibi: Justorum animæ in manu Dei sunt (3). Nec aliam esse S. Augustini mentem vel ex ipsis verbis satis intelligitur (4); quare sic ibidem scribit S. Doctor: Ut, quoniam anima sanguine tenetur in corpore (nam, si fuerit effusus, abscedit), per ipsum aptius significata sit anima, et ejus nomen sanguis acceperit: sicut Ecclesia dicitur locus, quo Ecclesia congregatur, nam Ecclesia homines sunt.

Argumentum 4.<sup>um</sup> Hæc habet Aristoteles: Semper, quamdiu vita servatur, sanguis unus animalur, ac fervet (5). Et alibi: Est certe roboris efficacior sanguis, qui crassior et efficacior est; vim autem sentiendi intelligendique obtinet plenior, qui tenuior atque frigidior est (6).—Verum hæc nullum negotium facessunt adversariis. Prior locus Philosophi perperam translatus est, sic enim græce habetur: Palpitat autem animalium sanguis simul ubique in venis, atque solus humorum perpetuo et toto in corpore animantium inest, quamdiu vitam agunt (7): quæ sane verba non significant sanguinem animari. Alter vero locus manifeste interpretandus est causaliter, quia sanguis ex sæpius repetita Philosophi doctrina non sentit, multo minus intelligit (8), ut ipsa experientia cuilibet notum est atque exploratum.

(1) Levit. cap. 17, vers. 11 et 14.

(2) S. August., lib. 3, quest. super Levit., quest. 57.

(3) Sapient., cap. 3, vers. 1.

(4) Lossada, num. 76; Franciscus Alphonsus, num. 60, etc.

(5) Aristotel., *Histor. animal.*, lib. 3, cap. 19.

(6) *De partib. animal.*, lib. 2, cap. 2.

(7) Σπῆσι δὲ τὸ αἷμα ἐν ταῖς φλεβῶν ἐν ἀπῶσι πάντῃ αἷμα τοῖς ζῴοις, καὶ ἔστι τῶν ὑγρῶν μόνον καὶ ἅπαν τε τὸ σῶμα τοῖς ζῴοις καὶ ἀεὶ ἐὼς ἀν ζῆν, τὸ αἷμα μόνον. Aristot. (*de animal. histor.* lib. 3, cap. 19, num. 15).

(8) Vide *Histor. animal.* lib. 3, cap. 19; *de partib. animal.* lib. 2, cap. 7 et 7.

anim argu-  
mentum

**Argumentum 5.<sup>um</sup>** Sanguis procul dubio nutritur, nam augetur, ac proinde vivit, quæ est communissima Physiologorum sententia, ut superius retulimus: unde etiam notant, qui hæc studiosius observarunt, in globulis cellulas esse cum suis nucleis. Atqui nulla pars corporis vitam habere potest, nisi anima informetur; sicut enim alibi a nobis ostensum est, principium vitæ in corpore anima est, eaque vera corporis forma substantialis (1).

expeditur.

Huic argumento sic proposito, quod robur suum accipit ex recentioribus Physiologiæ inventis nullum, ut planum est, poterant veteres reddere responsum, neque equidem scio, quid respondendum sit. Hæc tantum observata velim, de quibus penes sapientiores esto iudicium. *α*) Et primo quidem, nemo, quod ego sciam, inter recentiores asserit, quod *totus* sanguis vivat, sed tantum globuli, *potissimum rubri*. Ergo argumentum concludere nequit de *toto* sanguine, sed de minore duntaxat ejus parte, nisi dicas, animam rationalem informare quidem totum sanguinem, non tamen communicare *plasmati* et cæteris partibus, præter globulos, vitam, sed solum gradum et *esse* corporis: quo pacto, sicut anima rationalis aliis partibus tribuit gradum sensitivum, præter gradus inferiores, aliis vegetativum sine sensitivo, ita sanguini tribueret solum gradum et specificam perfectionem talis corporis. Hæc tamen doctrina foret nova parumque frequens in veterum scholis, quam primo, quod ego sciam, tenuit cardinalis Toletus, superius relatus, et postea timide proposuit Cardinalis Aguirre (2), sincere confessus eam se nullibi vidisse *ne a longe quidem insinuatam*. Scriptores enim antiqui, ubi dubium occurreret, utrum pars aliqua organismi ab anima informaretur, si nullum in ea reperiebant vitæ saltem vegetativæ indicium, illico negabant illam ab anima informari (3). Post cardinalem vero Aguirre aliis quoque videtur ejus doctrina non displicuisse, quam rejicit P. Lossada (4). *β*) Etiamsi controversia ad solos globulos sanguinis

(1) Vide *Psycholog.* vol. 1.<sup>um</sup>, num. 20 seqq., pag. 87 seqq.(2) *Philosophia novo-antiqua...* tom. 2, disp. 77, sect. 5.

(3) Cfr. Lossada, loc. cit. num. 53.

(4) *Ibid.* num. 57, 58.

restringatur, quæri potest, num *certum* prorsus sit atque indubitabile illos esse cellulas viventes. Jam enim paulo superius retulimus ex Henrico Milne-Edwards non deesse viros harum rerum peritos, qui arbitrentur globulos non vivere, sed esse corpuscula inertia. Donec ergo certe definiri queat, num saltem globuli sanguinis vere nutriantur, et vivant, argumentum ex eisdem petitum vim certam non obtinebit. *γ*) Cum porro id extra omnem dubitationis aleam positum erit, tunc adhuc controversia illa occurret, utrum globuli sanguinis viventes animentur anima rationali, an vero aliqua alia inferiori anima vel principio vitæ distincto ac prorsus independenti ab anima rationali, quemadmodum contendunt *colonistæ*. Si hoc postremum teneatur, vel dicendum erit globulos sanguinis viventes esse parasitos quosdam, vel veras partes corporis humani: quorum neutrum asseri posse videtur in illa hypothesi. *Non potest dici, quod sint parasiti*; nam ex superius dictis negari nequit sanguinem, ac proinde globulos, esse vere in aliquo sensu partes naturæ humanæ, ad integritatem corporis pertinentes. At quis dicet parasitos corporis esse veras partes ejusdem? Præterea si parasiti sunt, a quo vel quomodo gignuntur, præsertim si non datur generatio æquivoca? *Non potest dici, quod sint veræ partes organismi*, nempe in hypothesi, quod suis propriis animulis distinctis ab anima rationali informentur; quia tunc erunt in humano corpore partes, quarum principium vitale non sit anima rationalis. Atqui definitum jam est a Pio IX, Pontifice Maximo, animam rationalem esse principium omnis vitæ in homine. Verum neque etiam effugies omnes difficultates, si dicas globulos viventes rationali anima informari, quia tum explicandum tibi erit, quomodo sanguis et globuli ejus verum continuum, etiam imperfectum, constituere queant cum reliquo organismo, aut qui fieri possit, ut anima informet partes prorsus discontinuas corporis. Novi Thomistæ contendere, quod sanguis vere continuetur cum partibus solidis; sed hoc cæteri inficiantur, ut statim videbimus, et ex eo præcisè desumunt unum ex præcipuis argumentis ad negandam sanguinis animationem. Atque hæc dicta fuerint, non ut quidpiam definiam, sed ut alii judicent, quanta sit vis et efficacia postremi argumenti.

Argumenta  
negativum  
sanguinem  
animari.  
tunc argu-  
mentum

258. ARGUMENTA SENTENTIÆ NEGANTIS SANGUINEM ANIMARI RATIONALI ANIMA.

Argumentum 1.<sup>um</sup> Sanguis nullam elicit operationem vitalem. Ergo non animatur. Consequentia communissime conceditur. Antecedens probatur. Sanguis non vegetat, nec proprie se nutrit, multo minus sentit. Nulla enim est vegetatio vitalisve nutritio, ubi nec est alimenti intus-sumptio, atque in omnes partes cum debita proportione distributio, neque ulla organizatio ad ejusmodi operationes necessaria. Atqui nihil horum cernere est in sanguine. Ergo (1).—Respondebant veteres contrariæ sententiæ patroni, *negando* antecedens; sed forte secundum recentiora Physiologorum inventa melius *distingui* posset sic: sanguis nullam elicit operationem vitalem in globulis, *neg.*; in reliqua ejus parte, *conc.* Neque enim in viventibus unicellularibus, quales essent globuli sanguinei, requiritur organizatio ad vivendum. Fattendum tamen est hanc solutionem incidere in illas difficultates, quas in tractando postremo argumento præcedentis sententiæ proposuimus.

Argumentum 2.<sup>um</sup> Sanguis est nutrimentum corporis, ut asserunt et veteres et recentiores Physiologi, Ergo non animatur. Prob. conseq., quia nutritio est conversio alimenti in substantiam aliti, ac proinde importat transitum materiæ ab una in aliam formam (2); quod stare nequit, si alimenti forma sit ipsa forma viventis (3).—Hujus argumenti plures afferunt Thomistæ solutiones: a) primo recurrendo ad suam illam distinctionem sanguinis pure nutrimentalis et perfecti aut perfecte decocti, et concedendo priorem illum sanguinem non animari (4). Verum quia communissime ipsi Thomistæ

(1) Vide Lossada (loc. cit. num. 53 seqq., ubi hoc argumentum fuse defenditur), Mayr (num. 124 seqq.), De Benedictis (loc. cit.), et alios passim.

(2) Vide *Psycholog.* vol. 1.<sup>um</sup>, num. 135, pag. 642.

(3) Lossada (num. 59 seqq.), De Benedictis (loc. cit.) etc.

(4) Distinctionem hanc, quam puto in presenti statu scintiarum sustineri non posse, sic jam suo tempore nervose retulavit P. Ludovicus Lossada: Inutilis est distinctio illa duplicis sanguinis. «Nam in sanguine perfecto militant nostræ probationes, ut expendenti liquidum erit. Præterea distinctio illa non bene sumitur ex D. Thoma, quidquid Thomistæ dicant. Nam S. Doctor *Quodlibeto* 5, art. 5, ubi

fatebantur, quod etiam ex puriore ac perfecto sanguine nutriantur saltem partes principales organismi; ideo alii β) respondebant, dum caro nutritur ex perfecto sanguine dar conversionem substantialem alimenti, quod sit «mutatio substantialis non de forma ad formam, sed de imperfecta participatione formæ secundum unum præcipue gradum, vitæ scilicet vegetativæ, ad altiorem participationem ejusdem formæ secundum gradum etiam sensitivum, quo gaudent partes illæ, in quas, diversis introductis dispositionibus, convertitur» (1) γ). Alii negant nutritionem saltem omnem, esse mutationem substantialem, sufficit enim, ut sit accidentalis (2); neque vero «est inconveniens, ut alimentum in sua ultima decoctione sit informatum anima, non quoad gradum perfectum, sed quoad vegetativum (3). δ) Alii demum, ut præcipuus duntaxat responsiones innuam, contendunt (quod

maxime videtur illum indicare (in Partibus Summ. theol. nusquam indicat) dicit quidem quod *non totus sanguis nutrimentalis pertinet ad veritatem humanæ naturæ*, sed non distinguit duplicem speciem sanguinis, quin potius totum supponit esse nutrimentalem: addit autem ad veritatem humanæ naturæ pertinere totum sanguinem, qui ab homine habetur in ætate perfecta, in qua sine dubio plurimum sanguinis nutrimentalis habetur. Docet etiam ibidem, totum sanguinem effusum in passione Christi unitum fuisse Verbo, et ejus glorioso Corpori restitutum: in Passione autem nutrimentalem sanguinem effusum esse, quis dubitet? Dum ergo Thomistæ de sanguine nutrimentali negant, quod pertinet ad veritatem humanæ naturæ, quod assumptus fuerit a Verbo, quod in resurrectione restitutus; D. Thomam impugnant. Pars autem sanguinis, que non pertinet ad veritatem humanæ naturæ, sumitur apud D. Thomam pro sanguine, non qui est, sed qui fuit, et jam conversus est in liquorem album, qui *ros et cambium* appellatur, ut explicat ipse S. Doctor in 4.<sup>o</sup> dist. 44, quest. 1, art. 2, solut. 3, citatus a Collegio Complutensi. Unde non sumitur pro sanguine, quem Thomistæ vocant nutrimentalem: hic enim formatur immediate post chylum, priusquam perveniat ad jecur, in quo convertitur in sanguinem perfectum, ut docet idem Collegium (cit. quest. 2, num. 51), quamvis postea (num. 58 et 59) parum consequenter supponat, utrumque sanguinem permixtum esse in venis». Lossada, loc. cit. num. 64.

(1) Vide Colleg. Complutense S. Thomæ (loc. cit. num. 71), Prado (ibid. num. 71).

(2) Ita v. g. Arriaga (loc. cit. num. 268-270).

(3) Joann. a S. Thoma. (loc. cit. prope fin. *Ad secundum*). Cfr. Goudin, in *responsions ad instant.*, post. object. 1.<sup>am</sup>, loc. cit.

tamen falsum est), sanguinem non esse alimentum animalis (1), vel certe non esse alimentum totius viventis, sed tantum partium solidarum; non esse autem inconveniens in eo, quod partes quaedam viventis alantur ex alia, si sermo sit de heterogeniis, ut est sanguis relate ad alias, quæ ex eo aluntur (2).

3.<sup>um</sup> argu-  
mentum

**Argumentum 3.<sup>um</sup>** «Sanguis non continuatur cum partibus solidis humani corporis. Ergo non informatur anima rationali. **Patet consequentia**, quia nequit anima simul informare partes materiae discontinuas; alioquin posset anima informare manum abscissam corpori contiguam. **Probatur antecedens**, tum ex Aristotele (3), dicente: *Non est sanguis continuus carni, neque cum ea coaliuit, sed in corde et venis quasi in vasculis concluditur*; tum quia sanguis fervet, fluit et perpetua circulatione movetur. Id autem, quod jugiter movetur, et agitur, cum parte immota continuari nequit, ut per se patet» (4).—**Respondent** communiter Thomistæ, *concesso* consequente, *distinguendo* antecedens. Sanguis non continuatur immediate cum partibus solidis, *concl.*; mediate, *neg.* Mediatam vero hanc unionem dupliciter video contrariæ sententiæ assertores explicare: multi recurrunt ad partes quasdam crassiores vel ad fibras, quas in sanguine inesse dicebant, lisque mediis sanguinem cum venis continuari (5); alii malebant sanguinem continuari immediate cum jecore vel etiam cum corde, et eorum ope cum reliquis partibus (6).

solvitur.

4.<sup>um</sup> argu-  
mentum]

**Argumentum 4.<sup>um</sup>** urget P. Antonius Mayr ex transfusione sanguinis ab uno in alium (7). Si enim animali, quod

(1) Ita Quiros (disput. 77, sect. 2, num. 8).

(2) Ita Oviedo (controv. 1, punct. 4, num. 5). Istas responsiones expensas vide, si lubet, apud Lossada, loc. cit. num. 56-63.

(3) Aristot. *De partib. animal.* lib. 2, cap. 3 fin.

(4) Lossada (num. 63), De Benedictis (loc. cit.), etc. etc.

(5) Vide Collegium Complutense (num. 7), Joann. a S. Thoma (loc. cit. prope fin.), Goudin (loc. cit. in respons. ad object. 2.<sup>am</sup>), Complutenses Carmelit. (loc. cit. num. 22).

(6) Vide Cosmam de Lerma (lib. 2, quest. 15, num. 12), Arriaga (num. 273), Oviedo (num. 40).

(7) Loc. cit. num. 127, ubi ex *Memoires pour l'histoire des sciences à Trevoux* (tom. 4, ann. 1704, Decembr., art. 183, pag. 205), refert phenomeni istius experimentum factum esse Parisiis ann. 1667.

propter copiosorem sanguinis emissionem jam moriturum est, infunditur in ipsis venis sanguis alterius animalis ejusdem speciei, mox illud vitam recuperare demonstrat experientia (1). Nec vero solum in brutis animalibus, sed in homine etiam locum interdum habere potest, non sine salutis commodo, transfusio sanguinis ab uno in aliud individuum, ut notum omnibus est (2). Hinc vero sic arguere licet: Sanguis ejusmodi transfusus sua forma substantiali præditus est. Atqui non anima illius, ex quo extractus est, neque etiam anima illius, in quem transfusus, Ergo aliqua alia, ac proinde sanguis non est animatus, sed sua informatur propria forma distincta ab anima rationali.

**Minor probatur quoad utramque partem:** a) *Sanguis transfusus non informatur anima illius, ex quo est elicitus*, quia sanguis ejusmodi non est continuus cum corpore illius, sed loco distat. b) *Neque etiam anima illius, in cujus venas transfusus est*; primo quidem, argumento ad hominem contra Thomistas, quia ipsi docent animam rationalem ita individuari per ordinem ad materiam, ut materia, quæ informatur ab una anima, non possit informari ab alia, saltem nisi

Vide *Historiam*. experimentorum circa istud phenomenum apud Milne-Edwards (tom. 1, pag. 320 seqq.).

(1) «Quand on saigneum Chien au point de lui faire perdre 5 ou 6 pour 100 de son poids, il tombe dans l'état de faiblesse extrême dont je parais il y a quelques instants; et lors même qu'on arrête l'hémorrhagie, il meurt dans l'espace de quelques heures. Mais quand on a laissé l'écoulement du sang continuer jusqu'à ce que l'animal soit tombé même dans un état de mort apparente, il suffit d'injecter dans ses veines un certaine quantité de sang tiré du corps d'un autre animal de même nature pour ranimer subitement cette espèce de cadavre. Si la transfusion a été convenablement faite, on le voit alors respirer librement; son corps se réchauffe; bientôt ses mouvements deviennent faciles; il prend sa nourriture comme d'ordinaire, et ne tarde pas à se rétablir complètement.— Cette belle expérience ne prouve pas seulement combien le sang est nécessaire à la vie; elle montre également bien que les propriétés physiologiques de cet agent sont dues en grande partie aux globules que le plasma charrie.— Effectivement, M. M. Prévost et Dumas ont constaté que si le sang chargé de ses globules ranime ainsi la vie près de s'éteindre, il n'en est pas de même du sérum privé de globules et de fibrine.» H. Milne-Edwards, *ibid.* pag. 320-322.

(2) Vide Milne-Edwards, *ibid.* pag. 321 in nota.

per nutritionem transmutet illam in substantiam proprii organismi: quod profecto non accidit in transfusione sanguinis, utpote qui directe et immediate traicitur per venas, et miscetur cum priore sanguine alieni corporis. Præterea sanguis ille transfusus, vel substantialiter est transmutatus, ac proinde corruptus, in sui extractione, vel non. Si corruptus fuit, quomodo jam potest esse apte dispositus, ut informetur ab anima? Si autem corruptus non fuit, sed adhuc substantialiter idem permanet, dicendum tibi est, sanguinem illum duplici forma informari, nempe priori, quam adhuc retinet, et anima illius, in quem transfusus est.

Aliunde vero si dixeris sanguinem sua propria forma, distincta ab anima, informari, transfusio egregie explicatur: ille enim, quoniam per solum transitum ab unius venis in venas alterius nullam patitur corruptionem, retinet suam priorem formam, est in novo corpore miscetur cum alio sanguine, specificè eodem, sicut duo liquores ejusdem speciei in unum locum confluentes.

repellitur.

Hujus argumenti manifesta est instantia in phænomeno insitionis animalis. Nam sicut sanguis unius hominis in alium transfundi potest, ita etiam pars organica, v. g. cutis unius, applicari potest alteri. Atqui tamen certum est apud omnes, cutem hominis ab anima rationali informari. Ergo sicut una pars organica hominis, potest ex uno detracta transferri in alterum, quin obstet ejusdem animatio, ita etiam sanguis unius potest in alterum transfundi, quamvis sit informatus ab anima rationali.

3.<sup>um</sup> argumentum.

Argumentum 5.<sup>um</sup> est auctoritas S. Thomæ, qui: *Humidum nutrimentale*, inquit, *est, quod nondum pervenit ad suscipiendum perfecte naturam speciei, sed est in via ad hoc, sicut est sanguis et alia hujusmodi* (1). Atqui si sanguis nondum pervenit ad suscipiendam naturam speciei, non informatur ab anima rationali; nam si informaretur, posset participare perfecte naturam speciei non minus, quam humidum radicale (2), cui contraponit S. Doctor humidum nutrimentale.

(1) S. Thom. 1 p. quæst. 119, art. 1, ad 3.<sup>um</sup>(2) Quid vocaretur a veteribus humidum radicale, vide in *Psychologia* vol. 1.<sup>o</sup>, num. 145, pag. 663 in nota.

Præterea S. Thomas, prout superius retulimus, scripsit sanguinem non esse actu partem humani corporis, sed potentia (1). Atqui si anima informetur sanguis, quid vetare potest, ne sit actu pars corporis humani?

Respondent alii ad primum horum testimoniorum: «Ideo... sanguis dicitur esse in via et in potentia ad participandam naturam speciei, quia licet informetur anima secundum esse vegetativum, uno ex modis supra expositis, nihilominus ex eo quod simul habet habitudinem materiæ et viæ ad alias partes, non dicitur secundum hanc rationem participare naturam speciei» (2). Ad alterum vero dicunt. Aquinatem solum velle ibi: «sanguinem non esse actu partem solidam corporis Beatæ Virginis, esse tamen destinatum a natura ad hoc, ut possit esse materia aliarum partium. Nam ut supra tetigimus, partes illæ, quæ non transmutantur in alias partes, vocantur partes in actu, sicut et quæ modo dicto in alias transmutantur, dicuntur partes in potentia, quamvis etiam aliquando possint secundum aliam considerationem vocari partes in actu; nam cum sint medium quoddam inter cibum non conversum in substantiam aliti et alias partes actuales modo explicato perfectiores, ut caro, participant naturam utriusque extremi, et ideo collatæ cum cibo nondum converso in substantiam aliti, nuncupantur partes in actu; comparatæ vero cum aliis partibus perfectioribus, dicuntur partes in potentia, et ita juxta communem modum loquendi non dicitur per diminutionem earum diminui absolute et simpliciter corpus, ut patet, cum per venæ scissionem aliquid sanguinis naturalis foras erumpit, et ab animali separatur, nam tunc, ut constat, non dicitur absolute et simpliciter corpus diminui» (3).

quo pacto  
resolvatur  
ab adversaria.

En utriusque sententiæ præcipua fundamenta: seligat lector, quæ sibi probabilior videatur.

(1) S. Thom. 3 p., quæst. 31, art. 5, ad 1.<sup>um</sup>; et art. 6.

(2) Complutenses Carmelit., disp. 6, quæst. 1, num. 26.

(3) Complutenses Carmelit. Ibid., num. 25.